Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Domine Ihesu Christe, qui pro nobis redimendis utero sa„ cratissimæ matris tuæ uirginis Mariæ incarnari uolu„ isti: da huic famulæ tuæ. N. libertatem uentris eius ab omni obsidione et incursu doemonum, propter munditiam uentris matris tuæ, ut ipsa liberata per intercessionem matris tuæ mentis et corporis capiat puritatem, et te solũ possideat: Qui uenturus .etc.

Ad genua.

Domine Ihesu Christe, qui tua sacra genua in monte Olineti flexisti, et præ angustia mortis et pauore sudorem san„ guineum effudisti, per ipsam anxietatem tuam libera hanc famulam tuam. N. flecte in ipsa rigorem totius malitiæ, et iniquitates doemonis infestantis, ut potestas angeli Sathanæ nullam ammodo in ipsa exerceat potesta„ tem: qui uenturus .etc.

Ad pedes.

Domine Ihesu Christe, qui sacratissimis tuis pedibus super mare ambulasti, et plantis conculcasti: nam et uenti et mare tibi obedientiam exhibuerunt promptam: consigna pedes huius famulæ tuæ. N. tuo sacro munimine, et per ipsam potestatem tuam, cui nulla creatura resistere potest, expelle hos nequam spiritus ab hac famula tua. N. cuius corpus et anima pro habitaculo tuæ uirtutis in